

Jakob Carmon

**Universitatis Rostochiensis Rector, Jacobus Carmon, V. J. & Ph. D. Pand. Prof.
Publ. Ord. ... In Festo S. Michaelis Qvæstionem De Angelorum Ad Imaginem
Divinam Creatione sacris Civium Academicorum meditationibus Publico Hoc
Programmate substernit**

Rostochii: Typis Io. Iac. Adleri, [1725?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877473773>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1725. Michael.

M - 1256. 189.



Mitt. 1725

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
RECTOR,
JACOBUS CARMON,
V. J. & Ph. D. Pand. Prof. Publ. Ord.
Consist. Ducal. Consil.
IN
FESTO S. MICHAELIS
QVÆSTIONEM
DE
ANGELORUM
AD
IMAGINEM DIVINAM
CREATIONE
sacris
CIVIUM ACADEMICORUM
meditationibus
PUBLICO HOC PROGRAMMATE
substernit.



ROSTOCHII,
Typis IO. IAC. ADLERİ, SEREN. PRINC. & ACAD.
Typograph.

M. 1256 189

Nter ea, quæ propter Angeli, qvorum hodie Festum, in DEi, Angelorum Domini, gloriam, læti denuò, cum univer-
sa Ecclesia Christianâ, celebramus, æstimandi nobis & ma-
gni faciendi sunt, non minimum ducendum est illud, qvod
& ipsimet olim, æternâ illâ & beatâ in vitâ, sicut Angeli erimus,
Salvatore nostro dicente, *Math. XXII. 30. Marc. XII. 25. Luc. XX.*
36. Id vero, cum vi Rectoralis, qvod hucusque gero, munera, pu-
blica mihi ad Vos, CIVES ACADEMICI O. O. HONORATISSIMI!
verba facienda sunt, de materia differendi festivitati hujus temporis
aptâ cogitantis meditationes eo deduxit, ut in similitudinem istam
ac comparationem beatorum cœlitum cum Angelis aliquantum cu-
ratiū inqvirere conarer. Sed agitanti hæc illico succurrebat, ima-
ginem divinam, qvæ homini primitus concreata fuerat, per lapsum
autem amissa, in alterâ vitâ in nobis perfectè reparatum iri, docen-
tibus id nos Scripturæ locis *Rom. II. 29. I. Cor. XV. 49. I. Joh. III. 2.*
Unde non potuit non menti se quæstio offerre: Num igitur & An-
geli divinam imaginem gerant? Quæ istam præsupponit: An ad i-
maginem divinam conditi sive creati sint? Qvo parcius itaque hanc
in Systematibus Theologorum ex instituto tractatam invenimus,
eo magis in eam penitus inquirere & operæ pretium, & hodierno
Festo conveniens esse, arbitrati sumus. Maxime quidem, quoniam
eandem in Scripturis sacris expressè definitam nullibi légere datur:
unde & evenit, ceu talibus in quæstionibus fieri solet, quod non
idem de illâ sentire Doctores reperiantur, siquidem utrinque ra-
tiones habentur vero haud absimiles, prætereaque sic comparata res
est, qvam in utramque contradictionis partem, salvâ fide, disputare
licet. Quando tamen argumenta utriusque partis ponderamus, ea,
qvæ pro affirmatiâ militant, majoris deprehendimus aggravatio-
nis esse. In confessu equidem est, nullibi Scripturarum, qvemad-
modum de homine, *Gen. I. 26. 27.* legimus, Angelos ad imaginem di-
vinam creatos, expressis verbis edici; neutquam tamen ex eo con-
cludere licet, id minime factum esse, siquidem à silentio Scripturæ
ad rei negationem consequentia non valet. Non fecit Moses expre-
sam creationis Angelorum mentionem, haxæmeron illud, qvo DE-

us mundum hunc aspectabilem, quæque in eo continentur, genera
creaturarum omnia, pro infinitâ suâ sapientiâ liberaqve voluntate,
produxit, describens: Num verò exinde, Angelos vel ante mun-
dum jam extitisse: sive à DEO jam antea productos, ut Patribus
nonnullis, quibusdam Scholasticorum, ut & Socinianis placet; sive
DEo coeteros, qvalis sententia Aristoteli, Porphyrio, Simonianis
item, Nicolaitis ac Archonticis adscripta legitur; vel, absoluto de-
mum sextiduo illo Mosaico, adeoque post visibilem hunc mundum
& reliqvas creaturas omnes, productos esse, qvemadmodum Acha-
tius Episcopus atque Gennadius asseruisse dicuntur: de quibus op-
nionibus QUENSTEDIUS Part. I. System. Theol. Cap. XI. Sect. II. Quæst. I.
videri potest, concludemus? Scripturarium non id solum est, qvod
totidem verbis Sacro in Codice afferitur, sed illud etiam, qvod per le-
gitimam ex eo consequentiam deducitur atqve fluit. Sic enim ipse
Christus ex locis *Exod.* III. 6. 15. 16. *IV.* 5. resurrectionem mortuorum,
cujus nulla tamen inibi expressa mentio fit, *Matth.* XXII. 32. probat,
& ita quidem probat, ut dicat, Sadducæos, qvibuscum disputat, ean-
dem ibi legere potuisse. At qvomodo legere potuere, qvod in loco
non exstat? Exstat eqvidem non formaliter, virtualiter tamen & per
consequentiam, ceu Salvator ostendit, sic eos ratio cinari debuisse:
DEus non est DEus mortuorum, sed viventium; E. futurum est, ut
Abrahamus, Isaacus, Jacobus, dudum mortui, olim reviviscant, & à
morte resurgent. En ita resurrectionem mortuorum in Scripturæ
loco assertam, in quo ne vel nomen ejus exprimitur. Pari ratione de
Angelorum ad imaginem divinam creatione ex sacris literis consta-
re, dicendum est. Id qvod probatur sine negotio animadvertisimus,
præsupponendum esse, qvā in acceptione hoc loco imaginem divinam
intellectam velimus, qvandoqvidem, id nominis à variis variâ in si-
gnificatione usurpari, in propatulo est. Non autem melius ipsum in-
telligi potest, qvam si observaverimus, qvot qvibusve modis à Scripto-
ribus dicta sit imago DEi respectu hominis. Veteres qvidam sumse-
runt pro animæ rationalis essentiâ spirituali, ac facultatibus intelli-
gendi libereqve volendi, ut & immortalitate ejusdem: utpote in qvi-
bus qvandam cum DEo conformitatem atqve similitudinem cerne-
re datur. Verum, hæc acceptio prorsus in propria est, approbationem

tamen invenit modernorum Fanaticorum, qvibus imago divina etiam ad essentiam hominis pertinere dicitur, qvod nempe sit, partim spiritus ille, qvem tertiam fingunt essentialem hominis partem ab animâ distinctum, partim, & præcipue qvidem, libertas, quâ cupiditates suas & amorem homo vel ad DEum, vel ad creaturas terrenas convertere potuerit, ac ad alterutrum sese determinare. Contra qvos hic loci disputari, nil attinet qvidqvam, sicuti nec contra Flacium, itidem imaginem divinam, quantumvis alio, ac Fanatici, sensu, homini substantialem dicentem. Nostrum in præsenti scopum propriùs attingit, quod imago divina nunc generaliter sumi suevit, pro complexu nimirum omnium eorum, in qvibus aliqua hominis cum DEo conformitas invenitur; nunc specialiter, qvatenuis importat perfectiones qvasdam accidentales, divinis perfectionibus conformes, homini à DEo collatas, ad actus suos, ad qvos conditus erat, rectè exercendos atqve perficiendos, finis ultimi consequendi causa. Et hæc iterum in primariam seu principalem & secundariam seu minus principalem distingvitur. Ad hanc referuntur immortalitas sive non-mortalitas corporis, & dominium in creaturas in inferiori hoc mundo existentes; qvanqvam hocce non tam pars, qvam adjunctum duntaxat imaginis divinæ accidentale, accurate loquendo, juxta, Gen. I. 27. 28. coll. Cap. IX. 2. dici possit. Ista verò consistebat in sapientiâ intellectus, justitiâ & sanctitate voluntatis, atqve rectitudine appetitus sensitivi, ad imitationem sapientiæ, justitiæ atqve sanctitatis DEi, archetypi, homini concreatis. Hanc autem propriè stiloqve Scripturæ divinam imaginem esse, patet, qvia imago divina per lapsum amissa, perqve regenerationem atqve renovationem in nobis reparanda est, id qvod in hac vitâ, propter reliqias peccati, equidem inchoative tantum ac imperfecte fit, in vitâ verò beatâ, sublato radicis peccato, complete, perfecte ac consummativè fiet. At verò, essentia spiritualis animæ, sicuti & facultates illius essentiales ac immortalitas, per lapsum paradisiacum sublatæ non sunt, proindeqve nec renovandæ: amissæ autem sapientia, justitia, & sanctitas, atqve in homine ad imaginem divinam renovando reparandæ sunt, qvemadmodum ex Ephes. IV. 22. 23. 24. Coloss. III. 9. 10. manifestum est: qvapropter in sapientiâ, justitiâ & sanctitate homini concreata imago divina proprie, specialiter atqve Scripturæ stilo, constituit.

sistit. Optimè BAIERUS Part. I. Comp. Theol. Posit. Cap. IV. §. 12. hac de re scribit: *Hæc sapientia, justitia & sanctitas primorum hominum ita obtinet rationem imaginis divinæ, ut ea sola atque unica sit, à quâ homo, absolute loquendo, imago DEi appellari possit.* Et in Norâ subiectâ addit: *Magis certè, quam ipsa animæ substantia spiritualis cum facultatibus essentialibus; in se præcise spectatis.* Rationem asserti mox addit: *Nam sine sapientia illâ, mens hominis cœca sapientissimæ menti divinæ; sine sanctitate, voluntas depravata & rebellione appetitus sensitivi infecta, purissimæ sanctissimæque voluntati DEi, dissimilis magis, quam similis fuisse.* Quando jam hæc ad quæstionem de imagine Divinâ Angelis concreatâ applicantur, qvemlibet, autemo, sine negotio intelligere posse, non id nobis agi, ut Angelorum ratione essentiæ & perfectionum essentialium cum DEo similitudinem adstruamus, seu imaginem divinam improprie dictam iis vindicemus. Qvisquis enim non, cum Patribus qvibusdam, Hobbesio, Fanaticis, aliisve, contra qvos hîc disputare nimis prolixum foret, immateriale Angelis essentiam denegaverit, hanc iis imaginem DEi sine difficultate concedet. At eam non veram phrasique Scripturæ sic dictam imaginem divinam in illis esse, vel ex eo patet, qvoniam spiritualis essentia, cum intellectu ac voluntate, junctâ & immortalitate, Diabolo ipfi adhuc quoque competit, qvem verò imaginem DEi gerere, qui temerè dixerit, nemo erit. Remanet itaque, probatum demus, Angelos creatos esse ad imaginem divinam in propriâ strictâque significatione sumtam, cum sapientiâ, justitiâ & sanctitate, sapientiæ, justitiæ ac sanctitati DEi conformi. Atque hoc evincunt S. Codicis loca, in qibus Angelorum lapsorum, qui nunc est, status cum eo comparatur, à quo defecerunt. Clarissime huc spectantia sunt Salvatoris de Diabolo verba Job. II. 44. *Ille in veritate non stetit: quia non est veritas in ipso.* Faccendant hinc Manichæorum atque Priscillianistarum nugæ, Diabolum, dicentium, ideo in veritate non stetisse, qvoniam veritas nunquam in ipso fuerit, tanquam malus productus à principio malo. Quem errorem vel sola ratio refutat, demonstrans, non posse duo coæterna, eaque contraria, rerum principia esse. Quia non stetit Diabolus in veritate, certè, oportet, veritatem in eo antea datam fuisse. Nam in eo, quod ante habuit, seu quod in ipso fuit, stare qvispiam vel non stare-dicitur. Stare namque in aliquâ re, est, in eâdem persistere, perseverare, permanere

nere, sicuti non stare in eâ, idem ac ab ea deficere. Ut igitur verum dicti
hujus sensum Lutherus in vernaculâ nostrâ optimè expresserit : Er
ist nicht bestanden in der Wahrheit. Ecqvænam autem veritas illa ? Sane
non ea, qvæ naturæ est, qvam veritatem in effendo atqve transcendentalis
alias vocare solent, utpote in quâ Diabolum adhuc stare, ex antea
dictis constat ; neqve sola moralis illa sive Ethica, qvam veracitatem
appellamus, qvanqvam & istam conseqventer intelligi, arguant, qvæ ad-
duntur : *Qvando loquitur mendacium, ex propriis loquitur ; quia mendacium*
loquens est, & pater ejus ; sed formaliter atqve primariò ea hic indigitatur
veritas, qvam DEus ipsi cum ceteris Angelis in creatione illorum
indiderat, opposita mendacio, ab eo ipsomet originem suam trahente. Nimirum, veritas, qvæ coram DEo sapientiæ, justitiæ & sanctitatis,
omniumqve adeò actionum naturæ convenientium sedes. Ut itaque nil aliud hic veritatis nomine, qvam imago divina, intelligi possit.
Rectè FLACIUS Part. I. Clav. Script. voc. Veritas : *In veritate, scribit, non*
stetit Satan, Job. 8. v. 44. id est, in fidelitate erga DEum, & bonitate imaginis di-
vine. Parallelum huic est dictum Epist. Jud. v. 6. ubi mentio fit Angelorum,
qui non retinuerunt suam originem. Variè quidem ab Interpretibus
vocem ἀρχὴν h. l. redditani deprehendimus, dum alii principatum, alii
magistratum, alii dignitatem, alii Angelicæ dignitatis honorem, Luthe-
russ germanice : Die Engel die ihr Fürstenthum nicht behielten, verterunt ; sed
certior rei que convenientior eorum sententia est, qui principium vel ori-
ginem interpretantur. Postulat hoc, ad qvam Angeli illi, propter hunc
lapsum suum, reservari dicuntur, pœna, haud secus ac primo homini,
ad imaginem divinam condito, si prævaricando eam perderet, sanctio-
ne Legi Paradisiacæ annexâ eadem pœna dictabatur, Gen. II. 17. Rectissi-
mè proinde rursus FLACIUS l. c. voc. Principium : In Epistola Jude
v. 6. inquit, dicuntur lapsi Angeli non servasse suum principium, aut ori-
ginem ; id est, suam illam originalem nativamque bonitatem ; nempe imagi-
nem DEi, ad qvam initio facti formatique fuerant. Illud igitur suum bonum
principium non conservarunt, seu illam initialem indolem. Sic Christus dicit,
eos non perstitisse in veritate : Job. 8. v. 44. Principium ergo aut origo,
veluti nomen abstractum, ponitur ibi, more Hebræorum, pro subiecto, & ipsius
concreto. Origó, pro originali, ac ipsissimâ divinitus informatâ (ut ita dicam)
aureâ bonitate, seu imagine DEi. Sic & aliis in linguis sèpè Principium, pro pri-
mâ

mā parte rei, ponitur. Quod si tamen ἀξὺν per principatum reddi malueris, non multum refragabimur, qvandoqvidem unā hæc consistere possunt, qvid? qvod unum alterum importet. Principatus namque & id denotare solet, qvod præcipuum, præstantissimum ac principale est: Ecqvid verò in creaturis exellentius, qvid imagine DEi præstantius, qvid illis gloriosius dari potest? Summam in eo gloriam consistere, edoceri à Paulo possumus, de illuminatis per Evangelium atqve regenitis, 2.Cor. III. 18. scribente: *Nos verò omnes revelatā facie gloriam Domini introsipientes, in eandem imaginem transformamur ā gloriā in gloriam.* Si ergo nobis jam in hac vitâ, ubi imperfecta sunt omnia, renovatio ad imaginem DEi gloriæ cedit, qvid non de iis dicendum, qvi perfectam eam ex creatione divinâ gessere? Non possumus itaqve non probare, utrumque, & originem & principatum sive præstantiam, heic conjungentem, interpretationem POMARII Comment. in Epist. Jud. Cathol. ad h. l. scribentis: *Per ἀξὺν intelligitur originaria ipsorum & verè principalis conditio, natura, qualitas & dignitas, in quâ creati fuere, cœt creaturæ spirituales præstantissimæ, optime, sanctissimæ, justissimæ, sapientissimæ, veritatis divinæ scientes & tenaces, ac officio & ministerio nobilissimo præditæ.* Qvod autem per originariam illam Angelorum præstantiam imaginem divinam iisdem concreatam intelligat, seqventia ipsius verba sat manifestò produnt. Sic namque, post alia, pergit: *Hanc ἀξὺν, per creationem acceptam, quidam Angeli non servaverunt, non ex virium impotentiâ, sed ex affectus malitiâ, non ex impulsu & coactione extrinsecâ, sed ex motu voluntatis spontaneo intrinseco, quia fuerunt aquæntantes, qui peccarunt & aberrarunt ā scopo legis & voluntatis DEi, sibi divinitus p̄fixo, 2. Pet. 2. 4. uti ā principio Diabolus peccat, 1. Job. 3. 7. Diabolus in veritate non stetit, Job. 8. 4.* Ergo antea justitiam & sanctitatem eam, in quâ consistebat imago DEi, concretam habuit, Eph. 4. 24. sed deinceps, sp̄rata DEi bonitate, ex proprio imperio & abusu libertatis concessæ ab hac originariâ suâ persectione Diabolus & Angeli ejus defecere. Nolumus plura, qveis thesis nostra confirmetur, argumenta coacervare, unicum dñntaxat juncturi. Et illud ipsum, qvo Theologos nostrates, imaginem divinam primo homini naturalē fuisse, contra Pontificios, firmiter probare, deprehendo: Ab hominibus enim in hoc, ob similitudinem naturæ rationalis, ad Angelos non concludi non potest, qvos rationales creatureas, ac in gloriam DEi, ad eum recte agnoscendum debiteque colendum, conditos esse, nemo inficiabitur: An verò Deus rationalem creaturam condicisse censeri potest, viribus ad finem, ad qyem condita, obtinendum necessariis desitutam? Absit, hoc de Deo optimo, sanctissimo ac potentissimo vel cogitari! Sed ad veram DEi cognitionem sapientia; ad rem illius cultum justitia & sanctitas Angelis necessaria erat, qvâ ni si Deus in eum non concreasset, in eum ipsum imperfectioris culpabilis causalitas redundaret. Qvod argumentum, quantum ad hominem, ā qvo verò ad Angelos applicatio heic facilis est, latius deduxit Theologus;

elogus immortalium in Ecclesiam meritorum, FECHTIUS Philocal. S. Theff. Polem. XI. Non est, ut Theologorum nobiscum allegemus consensum, alioquin, præter adductos, Flacium atque Pomarium, ad HEERBRANDUM Comp. Theol. L. de Imag. DEi p. 147. GERHARDUM Ifag. Disp. XII. Cap. VI. §. 26. HUTTERUM Comp. Theol. Loc. V. Qu. 2. & CUNDISIUM Not. ad illud p. 144. MARTINI Partit. Theol. Disp. VII. Tb. 85. BAFFERUM Part. I. Comp. Theol. Posit. Cap. III. §. 22. HEBENSTREITIUM Phil. Prim. Part. III. Sect. II. Cap. IX. tb. 12. ex Calvino-Reformatis ZANCHIUM Part. III. de Operibus DEi intra spatum sex dierum creatis Lib. III. cap. I. Th. I. aliosqve provocare licet. Non tamen etiam defunt, qui thesin hanc nostram, si non penitus negent, saltem dubiam facere nitantur. Non incelebris olim in Hasniensi Danorum Academia Philosophus atque Theologus, Conr. ASIACUS Phys. Mosaic. Part. Special. p. 275. ad propositam questionem: Utrum Angelii ad imaginem DEi quoque creati sint? non modo dubitanter respondet, sed & eam negare videtur, quia S. Scriptura de solo homine pronunciat, quod creatus sit in imagine; vel ad imaginem DEi: de Angelis nusquam hoc dicitur. Sed cum ad haec argumenta responsio ex superioribus per se pateat, non est, ut ulterius quidquam de iis dicamus, quemadmodum & reliqua illius dubia, cum, minimum non integrum imaginem divinam Angelis, licet justitiæ & sanctitate gavissi fuerint, concretam fuisse, dicit, ex evoluta nominis hujus homonymiæ fine negotio solventur. Sufficit nobis, demonstrasse, Angelos ad imaginem divinam specialiter, primariò & Scripturæ filio dictam, creatos fuisse, ac eos, qui in originali bonitate persistenterunt, eandem gerere: quapropter eos Scriptura Sanctorum Angelorum nomine dignatur. Quæcum ita sint, nos autem, quando imago divina perfecte in nobis restaurabitur, in æternâ gloriâ, Angelis similes futuri sumus, vel me non monente, intelligetis, CIVES HONORATISSIMI! jam in hac vitâ nostrum officium esse, ut, quantum connata nobis imbecillitas non impedit, ad *ιταγγελίαν* istam, Spiritu S. efficaciter in nobis operante, contendere, nitamur. Quid quomodo fieri queat? non est, ut quæxatis, satis, ut puto, intelligentes, id aliter haud fieri, quam imaginem divinæ in nobis reperione, sicut Angelii sancti divinam adhuc, quam primitus eis indidit DEus, imaginem gerunt. Utinam, ejus & cupidi essent omnes & studioſi! At quam dolor! verendum est, ne quidam vestrum, nullum namque sine nœvis corpus, nulla sine flagitiosis ferè societas aliquantum major est; ab illâ cum sanctis Angelis conformitatem adeò longè absint, ut eorum potius vitâ suâ actionumque temeritate imaginem repræsentare videantur, qui concretam sibi imaginem divinam frivole pessum dederunt. Salvator noster, Job. IX. 44. Diabolum dicit homicidam ab initio esse. Quid ergo, conscientiam vestram testor, judicabitis ipsi, quorumnam Angelorum conformitatem in se demonstrent, qui hostili animo, ne proximum dicam, Comilitones suos flagellis invadere, qui sanguinem eorum effundere, qui ad internectionem usque eos vulnerare gestiunt, idque gloriae sibi ac honori ducunt? Itane sanctorum Angelorum sanctitatem atque iustitiam imitantur? An vero ejus referunt imaginem, qui ab initio est homicida? Sanè, qui non in hac vitâ Angelos imitari studet, quomodo is in alterâ vitâ, nisi resipuerit, *ιταγγελον* se fore, sibi promittere potest? Id itaque, CIVES! agamus, id sedulò semperque curemus, ut, abdicatâ omni luxuriâ, lasciviâ, carnis vindictæque cupiditate, sanctis nos Angelis similes geramus, sequentes monitum Apostoli, Col. III. 9. 10. exuentes veterem hominem cum actionibus ejus, & induentes novum, qui renovatur in cognitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Juncto Ephes. IV. 22. 23. 24. Deponere debetis juxta priorem conversionem veterem hominem, qui se corruptit per concupiscentias fraudis; renovari vero spiritu mentis vestre; & induere novum hominem, qui secundum DEum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Quandoquidem autem illud nostris in viribus arbitrioque positum non est, concedat ipsum, oro precorque, & Vobis, & mihi, & cunctis, qui supremus noster pariter ac Angelorum Dominus est, DEUS in secula benedigat. Fiat!


P. P. sub Sigillo Rectorali
In Festo Sanctorum Angelorum. Anno MDCCXXV.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn877473773/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877473773/phys_0011)

DFG



mā parte rei, ponitur. Quod si tamen ἀεχνὸν per principatum reddi malis, non multum refragabimur, qvandoqvidem unā hæc consiste possunt, qvid? qvod unum alterum importet. Principatus namq; & id denotare solet, qvod præcipuum, præstantissimum ac principale est: Ecqvid verò in creaturis exellentius, qvid imagine DEi præstatius, qvid illis gloriosius dari potest? Summam in eo gloriam consire, edoceri à Paulo possumus, de illuminatis per Evangelium atque genitis, 2.Cor. III. 18. scribente: *Nos vero omnes revelatā facie gloriam Imini introspicentes, in eandem imaginem transformamur ā gloriā in gloriam* ergo nobis jam in hac vitā, ubi imperfecta sunt omnia, renovatio ad imaginem DEi gloriæ cedit, qvid non de iis dicendum, qui perfectam eam ex creatione divinā gessere? Non possumus itaqve non probare, utrumque, & originem & principatum sive præstantiam, heic conjugente interpretationem POMARII Comment. in Epist. Jud. Cathol. ad b. l. sc̄ bentis: *Per ἀεχνὸν intelligitur originaria ipsorum & vere principalis conditio natura, qualitas & dignitas, in quā creati fuere, ceu creaturæ spirituales præstantissimæ, optimæ, sanctissimæ, justissimæ, sapientissimæ, veritatis divinæ scientes & tenaces, ac officio & ministerio nobilissimo præditæ.* Qvod autem originariam illam Angelorum præstantiam imaginem divinam iisdem concretam intelligat, sequentia ipsius verba sat manifesto producit. Sic namque, post alia, pergit: *Hanc ἀεχνὸν, per creationem acceptam, quidam Angeli non servaverunt, non ex virium impotentia, sed ex affectus malitiæ non ex impulsu & coactione extrinsecā, sed ex motu voluntatis spontaneo intriseco, quia fuerunt αὐαγτῖαι τοτε, qui peccarunt & aberrarunt ā scopo legis voluntatis DEi, sibi divinitus præfixo, 2. Pet. 2. 4. uti a principio Diabolus peccauit. Job. 3. 7. Diabolus in veritate non stetit, Job. 8. 41. Ergo antea justitiam sanctitatem eam, in quā consistebat imago DEi, concretam habuit, Eph. 4. sed deinceps, spretā DEi bonitatē, ex proprio impetu & abusu libertatis concubuit, hoc originariā suā perfectione Diabolus & Angeli ejus defecit. Nolumus plura, quevis thesis nostra confirmetur, argumenta coacervare, unicum duntaxat eturi. Est illud ipsum, quo Theologos nostrates, imaginem divinam primio homini naturaliter fuisse, contra Pontificios, firmiter probare, deprehendo. Ab hominibus enim in ob similitudinem naturæ rationalis, ad Angelos non concludi non potest, quos rationes creaturas, ac in gloriam DEi, ad eum recte agnoscendum debiteque colendum, condito se, nemo inficiabitur. An verò Deus rationalem creaturam condidisse censeri potest, bus ad finem, ad quem condita, obtinendum necessariis desitutam? Absit, hoc de Deo optimè & sanctissimo ac potentissimo vel cogitari! Sed ad veram DEi cognitionem sapientia; ad summum illius cultum justitia & sanctitas Angelis necessaria erat, quā mī si Deus nisdem non creasset, in eum ipsum imperfectionis culpabilis causalitas redundaret. Qvod argumentum quantum ad hominem, ā quo verò ad Angelos applicatio heic facilis est, latius deduxit.*

